

und im August 1663 vom Obristleutnant von der Ehr 32 Musqueten nebst Pantalieren überschickt worden. Sonst waren im Stifte 5 Doppelhacken 2 eiserne Feuermörser, 8 Musquetten, 6 kurze „Wöhren“ vorhanden.

Auf dem Fuglauerberg waren die Vorbereitungen für die Kreuden und Allarmsfeuer getroffen. Die Kreudenschüsse sollten mit grossen Pöllern kleinen Kanonen oder mit etlichen Doppelhacken gemacht werden.

Am 13. August 1663 schreibt Abt Maurus von Wien aus, wohin er sich begeben hatte: „dass die Geistlichen nach St. Andre, Lilienfeld, Göttweih oder Melk sich flüchten sollten, falls sich Gefahr zeige, obwohl es ihm lieber sei, wenn einige blieben.“

Alles sah mit Furcht und Zittern¹⁾ dem Nahen der türkischen Schaaren entgegen — aber — zum Glück — zeigte sich in der Hornergegend kein Feind und das Stift kam mit der bangen Erwartung davon.

Nun kamen auch nach der Zurückweisung der Türken im Jahre 1683²⁾ glücklichere Zeiten, die nur von der Ferne vom Waffenlärm unterbrochen wurden. Abt und Convent waren nicht mehr gezwungen, den Wanderstab zu ergreifen und wo anders Zuflucht zu suchen.

De Sacramentarii Gelasiani substantiali authenticitate.

Disquisitio Liturgica, auctore † R. P. Domno Beda Plaine, O. S. B.

(Conclusio. Vide fasc. II.—III. 1901, pg. 381—388.)

§ 10. Diluuntur duae objectiones relativae Statutis antiquis Ecclesiae, et consecrationi manuum novorum presbyterorum.

Invenitur in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani longa de ordinatione ministrorum Ecclesiae rubrica, quae duabus constat partibus, quarum prima ex quadam epistola Zozimi Papae desumpta tractat de interstitiis diversorum ordinum, secunda vero de dotibus et qualitatibus necessariis in his diversis ordinibus apte

¹⁾ Nach einem Briefe des Hofmeisters an Abt Maurus in Wien (?) vom 9. Sept. flüchteten sich viele Leute nach Böhmen und in die Wälder; Die Bauern kündeten hie und da den Gehorsam auf und drohten ihren Herren mit Todtschiessen.

²⁾ Auch damals wurde das Stift stark befestigt und unter die Vertheidigung des Leutnant Elias Stieft gestellt.

exercendis.¹⁾ Haec ultima pars exhibetur etiam in Missali Francorum, dum prima ex eo abest²⁾ quae res dedit occasionem pluribus auctoribus supponendi hunc textum Gallicanum esse originale et promulgatum fuisse pro prima vice in Provincia Arelatensi ineunte seculo sexto.³⁾ Sed pauca fide vel auctoritate digna sunt meo iudicio testimonia vel argumenta, quae afferuntur in favorem istius opinionis.

Et primo huic contrarii sunt plures codices antiqui, siquidem in pluribus optima notae intitulantur explicite ista statuta Canones Africani, seu Canones Carthaginiensis Concilii, in aliis, Statuta Ecclesiae Orientalis,⁴⁾ nusquam vero Canones Gallicani seu Arelatenses. Insuper nihil analogum invenitur in Conciliis Provinciae Arelatensis quarti, quinti vel sexti seculorum.

In secundo loco notandum est, quod S. Isidorus Hispalensis inseruit fere de verbo ad verbum haec statuta tum in Etymologiis⁵⁾ tum in libro de Ecclesiasticis officiis,⁶⁾ sed tanquam ex Africanis conciliis mutate non Gallicanis, siquidem ipse ea occasione laudat concilia Carthaginensia⁷⁾ tacet de Gallicanis. Quinimmo in celeberrima Hispana Canonum collectione, quae Isidorum habet pro primo auctore ut creditur,⁸⁾ inscribuntur dicta statuta tanquam canones proprii quarti Concilii Carthaginiensis,⁹⁾ minime quasi Canones Gallicani.

In tertio loco, inter ordines ecclesiasticos computatur explicite ordo Psalmistarum,¹⁰⁾ quem similiter admittit Isidorus. Porro iste ordo nunquam forsitan receptus est in Galliis, tacentibus de eo Gregorio Turonensi et Gallicanis canonibus. Hinc consequenter statuta, de quibus agitur, non sunt Gallicana sed Africana. Gelasius vero, quia erat Afer, ea inseruit in suo Sacra-

1) Gelasian Sacramentary, p. 144 et 145.

2) Missale Francorum I. — Patrologia latina t. LXXII, p. 317 et seq.

3) Origines du Culte Chrétien, p. 337—339. — Maassen: De fontibus juris ecclesiastici, t. I, p. 382.

4) Concilia. Editio Mansi, Venetiis 1728, t. II, p. 1433, nota 1.

5) Etymologiarum VIII, 12.

6) De Ecclesiasticis officiis II, 7—15.

7) Chronicon Isidori, n. 108. — Patrologia Latina, t. LXXXII, p. 1052.

8) Eam edidit Gonzales ex purioribus codicibus, in quibus praeter Concilia Toletana, quae procedunt usque ad finem octavi seculi, sistunt Concilia Africana ad annum 418, Gallicana ad annum 535, epistolae vero Romanorum Pontificum concluduntur in Gregorio Romano. Quo rerum statu Isidorus mihi videtur primus auctor talis Collectionis seu ejus inspirator.

9) Gonzales: Concilia Hispaniae Matriti 1849, t. I. p. 237 et seq.

10) Ibidem, canon X, p. 239.

mentario, qualia promulgata erant. Collector vero Missalis Francorum ea mutuatus est sicut et multos alios textus ex dicto sacramentario,¹⁾ dum idem epistolam Zozimi intactam relinquebat, quia tractabat de interstitiis, quae nunquam fuerunt in usu apud Gallos. Ideo ex hac parte nulla adest interpolatio in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani. Instat tamen D. Duchesne asserens saltem ritum consecrationis manuum novorum presbyterorum gallicanum esse, non romanum. Siquidem juxta eum iste ritus nondum erat Romae receptus currente nono seculo.²⁾ Sed assertio non est rerum veritati conformis. Etenim innititur solummodo auctor ad rem probandam super quoddam responsum interpolatum Nicolai Primi. Evolve mentem meam. Rodolphus, archiepiscopus Bituricensis, Pontificem Romanum consuluerat, ut puto in hanc formam: „utrum in consignatione liceat presbyteris aut diaconibus cum Chrismate manus ungere.“³⁾ Sed quidam amanuensis tres litteras sig immutans in sec efformavit vocem consecratione loco vocis consignatione et totum textum consequenter forsan inconscie ita corruptit ut legatur nunc: „utrum presbyteris et diaconibus cum ordinantur, debeant manus chrismatis liquore perungi.“⁴⁾ Sed indubie Nicolaus Pontifex non talia scripsit. Nam si talia scripsisset, non addidisset: „quod in sancta hac Romana Ecclesia, cui Deo auctore deservimus, neutris agitur“⁵⁾ siquidem eo vivente „hunc morem tenebant episcopi teste Amalario ungenti presbyterorum manus de oleo.“⁶⁾ Revera autem Pontifex loquebatur de consignatione seu de confirmatione non de consecratione manuum, nam ipse concludit dicens: „Ergo ad B. Innocentii Papae canonice decreta Sanctitatem tuam transmittimus et quae tibi sint in consecrationibus et ordinamentis observanda, principia paginae ad Decentium Eugubinum episcopum missae, te effatim edocebunt.“⁷⁾ Porro si consulatur dicta epistola Innocentii, patet in ea tractari explicite de consignatione baptizatorum, minime vero de consecratione manuum presbyterorum seu diaconorum:⁸⁾ ac proinde Nicolaus

¹⁾ Missale Francorum magis est romanum quam gallicanum, teste ipso D. Duchesne, opere citato p. 128. Exscribi debuit tempore, quo inchoata recenter Liturgia Gallicana plerosque ritus romanos non adhuc respuebat, verbi gratia in eo jam invenitur quadam collecta, quae inscribitur ante nomina (Patrologia Latina t. LXXII, p. 335–338) sed est sui generis unica, nec alia similis inveniri potest, me conscio. Insuper quod est notatu dignius ista conciliari potest cum canone missae quotidiano.

²⁾ Origines du culte chrétien, p. 125, 356, 358.

³⁾ Decretum Gratiani, Prima pars. Distinctio XXIII, 12.

⁴⁾ Textus epistolae Pontificiae. — Patrologia Latina t. CXIX, p. 884.

⁵⁾ Ibidem.

⁶⁾ Amalarius: De ecclesiasticis officiis II, 13 initio, t. CV.

⁷⁾ Epistola Nicolai, loco citato.

⁸⁾ Epistola XXV, n. 3. — Patrologia Latina t. XX, p. 554.

ejus successor non poterat de alia re loqui quando Rodulphum Bituricensem ad canonica decreta sui decessoris remittebat. Hinc patet responsum allegatum Nicolai primi fuisse revera interpolatum, nulloque valore dignum esse. Qua re demonstrata, ipsa obiectio cedit cum instantia, quae eam debebat fulcire juxta D. Duchesne. ¹⁾

Nunc prosequens meum propositum, ostendam quomodo ex duplici ritu Consecrationis Virginum et actionis nuptialis credatur Gelasianum Sacramentarium antiquius esse diebus S. Gregorii, et etiam expers esse cujuslibet interpolationis sub hoc respectu.

§ 11. De consecratione Virginum et actione nuptiali.

Notum est consecrationem Virginum antiquissimam esse in Ecclesia, et a primis temporibus pluris aestimatam fuisse ratione decoris et gloriae quae ex hac re acquirebantur Christo ipsi et plebi Christianae. Hinc ista consecratio episcopis fuit reservata, nec etiam regulariter perfici potuit per plura sacella nisi sancto die Resurrectionis Dominicae, teste Sancto Ambrosio, qui dicit expresse: „Venit Paschae dies, in toto orbe Baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacrae virgines.“ ²⁾ Hoc vero constitutum ecclesiasticum a Gelasio temperatum fuit sicut alia plura ³⁾ quod ipse asserit in epistola nona ad Episcopos Lucaniae, ubi haec leguntur: „Devotis quoque virginibus, nisi aut Epiphaniarum die aut in Albis Paschalibus, aut in Apostolorum Natalitiis sacrum velamen minime (episcopi) imponant.“ ⁴⁾

Qua de re facile intelligitur, cur istud decretum ipse Gelasius in suo Sacramentario inseruerit juxta hunc tenorem:

„Consecratio Virginis, quae vel in Epiphania vel secunda feria Paschae, vel in Natalitiis Apostolorum celebratur.“ ⁵⁾

Ritus vero et formalae, quibus constat dicta consecratio Virginum iidem sunt, paucis exceptis, in Gelasiano Sacramentario ac in Leoniano ⁶⁾ et Gregoriano ⁷⁾ vel etiam in Missali Francorum. ⁸⁾ Sed in duplici Missa, quae in solo codice Vaticano comitatur hanc consecrationem, oratio Canonis: Hanc igitur oblationem

¹⁾ In sacramentario Gelasiano ponitur consecratio manuum extra ordinem regularem forsan vitio amanuensis (Gelasian Sacramentary, editio citata p. 148) cum benedictione subdiaconi, sed revera pertinet ad Benedictionem presbyterorum in codicibus Gemetiensibus, Gellonensibus etc. sicut et in Missali Francorum.

²⁾ Exhortatio ad virgines, 42. — Patrologia Latina t. XVI, p. 348. Revera soror ipsius Marcellina consecrata fuit a Papa Liberio die Natali Domini, sed Liberius sibi ipsi dedit dispensationem, quod non forsan poterant episcopi.

³⁾ Gelasii epistola IX, 1. — Patrologia Latina t. LIX, p. 48.

⁴⁾ Gelasii epistola IX, 12 — Patrologia Latina t. LIX, p. 51.

⁵⁾ Gelasian Sacramentary, p. 156—160.

⁶⁾ Patrologia Latina, t. LV, p. 129.

⁷⁾ Ibid. t. LXXVIII, p. 173 et 174.

⁸⁾ Ibid. t. LXXII, p. 326.

prorsus diversa est a tenore, quem dicta oratio accepit ab ipso Gregorio,¹⁾ et constanter retinuit postea ut jam dictum est, ac proinde ex hac circumstantia eruitur, hos ritus, hasque formulas anteriores esse diebus S. Gregorii.

Idem dici debet ob eandem causam de actione nuptiali, seu de ritu matrimonii contrahendi, qualis describitur in Sacramentario Gelasiano.²⁾ Nam hic ritus et formulae sunt iidem quoad litteram, paucis exceptis, tum in Sacramentario Gelasiano tum in Leoniano³⁾ et Gregoriano⁴⁾ sed missa quae huic ceremoniae aptatur, nobis etiam exhibet Orationem Canonis: Hanc igitur oblationem, cum tenore speciali et prorsus diverso a tenore hodierno, qui vim habet legis a diebus S. Gregorii.⁵⁾ Unde iterum fatendum est hanc redactionem antiquiorem esse S. Gregorio, et iterum probatur amanuensem San Dionysianum haberi debere tanquam fidelem exscriptorem Sacramentarii Gelasiani, minime tanquam interpolatorem.

Nunc post has diversas recensiones et collationes, quae adhuc protrahi possunt, de sola tamen deinceps brevitatis gratia, dedicatione ecclesiarum tractabo.

§ 12. De Dedicatione Ecclesiarum in eodem Codice.

„Ritus, quos in consecrandis ecclesiis et altaribus Romana servat Ecclesia, Beatus Silvester Papa primus instituit.“⁶⁾ Haec assertio Breviarii intelligi debet de praecipuis istorum rituum, non de quolibet in specie considerato, sed fide digna videtur. Nam etsi jam ante Silvestrum, et ab Apostolorum temporibus, loca fuerant Deo dicata, ubi fiebant synaxes Christianorum, non tamen illa adeo solemniter tunc temporis consecrabantur, impediente persecutorum rabie. Sed ubi Constantinus imperator non solum lege lata permisit Christianis ut ecclesias aedificarent, sed etiam exemplo suo eos cohortatus est ad hanc sacram aedificationem, conveniens fuit, ut institueretur quidam ordo rituum et formularum, quibus uteretur episcopus in re tam sancta peragenda. Qui ordo jam existerat in Oriente vivente Constantino, ut eruitur indirecte ex narrationibus Eusebii, quae pro objecto habent dedicationes ecclesiarum Tyri et Jerusalem.⁷⁾ Porro quis credat Silvestrum

¹⁾ Gelasian Sacramentary p. 159 et 160.

²⁾ Ibid. p. 265—268.

³⁾ Patrologia Latina t. LV, p. 130 et 131.

⁴⁾ Ibid. t. LXXVIII, p. 261 et 262.

⁵⁾ Gelasian Sacramentary p. 265 et 266.

⁶⁾ Breviarium Romanum die nona Novembris, lectio quarte.

⁷⁾ Eusebius: Historia Ecclesiastica X, 3 et 4. — Patrologia Graeca, t. XX, p. 845—879. — De Vita Constantini III, 25 et seq. — Ipse Eusebius vocat hanc dedicationem proprio nomine consecrationem: unde peragebatur cum precibus et unctionibus solemnibus.

aliter egisse, et non dedicasse cum quodam apparatu pompae et solemnitatis Basilicam Lateranensem et alias, quas Constantinus ipse cum tanto decore et magnificentia aedificabat? Mihi revera opponitur quidem textus Vigilii Papae (538—556), ex quo concluditur, juxta sententiam D. Duchesne nullum ordinem dedicationis ecclesiarum institutum fuisse ab Ecclesia Romana ante S. Gregoriam.¹⁾ Sed verba Pontificis minime mihi videntur habere sensum qui eis hic attribuitur. En eorum tenor: „De fabrica cujuslibet ecclesiae, si diruta fuerit, et si in eo loco, consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil indicamus officere si per eam minime aqua exorcisata jactetur, quia consecrationem cujuslibet ecclesiae, in qua Sanctuaria non ponuntur, celebritatem tantum scimus esse missarum. Et ideo si quae sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cum in ea Missarum fuerit celebrata solemnitas, totius sanctificatio consecrationis impletur.“²⁾

In hic verbis Pontifex, respondens episcopi Profuturi consultationibus, non describit explicite ipsum ritum consecrationis ecclesiarum principalium, seu in quibus Sanctuaria existebant,³⁾ sed duplex dubium solvit, asserens scilicet, non esse necessarium jactare aquam exorcisatam, quando agitur seu de aedificio in quo non existunt sanctuaria, seu de basilica simpliciter innovata non integre nova. Sed ex tali responso indirecte eruitur quod si ageretur de basilica vere nova, et in qua existerent sanctuaria, ista non posset dedicari sine aspersione aquae exorcisatae, ut loquitur Vigilius. Porro praecise in Sacramentario Gelasiano tractatur de Basilica nova in honore cujusdam martyris constructa⁴⁾ id est, de Basilica, in qua existabant sanctuaria, non de alia, et consequenter de Basilicae, quae non poterat consecrari et asserit item Vigilius, sine jactatione aquae exorcisata. Qui ritus explicite praecipitur a Gelasio tanquam essentialis.⁵⁾ Unde consequenter Vigilius, nedum decessori contradicat, ut asseretur, ei in contrarium plane consentit et Gelasiani Sacramentarii authenticitatem indirecte confirmat, minimeque officit traditioni Silvestrinae, de qua supra.

Insuper aqua exorcisata, quae requirebatur pro hac circumstantia, non erat aqua benedicta ordinaria, sed alia specialis, ut eruitur ex verbis Vigilii. Porro de facto praecipitur in Sacramentario Gelasiano pro dedicatione Basilicae novae

¹⁾ Duchesne, opere citato p. 389.

²⁾ Epistola Vigilii ad Profuturum. — Patrologia Latina t. LXIX, p. 18.

³⁾ Ista vox debet designare ecclesiam, quae erigebatur supra corpus alicujus martyris, vel aliquid simile.

⁴⁾ Gelasian Sacramentary, editio citato p. 133, 140 etc.

⁵⁾ Ibid. p. 133.

vinum cum aqua mixtum,¹⁾ seu potius usus ejusdam conspersi, in quo simul miscentur aqua, sal et vinum cum exorcismis et aliis ritibus clare distinctis ab eis, qui sunt in usu pro aqua simpliciter benedicta.²⁾

Insuper quod sedulo notandum est haec mixtio, qualis describitur in Codice Vaticano, nullo modo potest tribui S. Gregorio, nam differt ab ea, qua utimur hodie in eadem dedicatione ecclesiarum et quae vocatur ex ejus auctore Gregoriana, siquidem in ista ultima mixtioni praecedenti adjungitur cinis.³⁾ Exorcismi vero et formulae in multis concordant, et identitas fit litteralis, dempta mentione cineris in ultima oratione benedictionis istius aquae: „Creator et conservator humani generis.“⁴⁾ Ex qua identitate deducitur logice textum hujus orationis antiquiorem esse ipsa aqua Gregoriana. Tandem duplex invenitur Missa pro dedicatione Basilicae novae in Sacramentario Gelasiano et ornatur utraque oratione propria. Hanc igitur oblationem prorsus diversa ab hodierna formula.⁵⁾ Unde indubie anterior est diebus S. Gregorii, quidquid sit de antiquitate ipsius aquae Gregorianae. Verumtamen non sufficit mihi ostendisse ordinem dedicandae Basilicae novae, qualis exhibetur in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani, antiquiorem esse Romanis Pontificibus Vigilio et Gregorio Magno, siquidem iterum instat D. Duchesne, asserens istum ordinem dedicationis Gallicanum esse saltem pro parte et non integre Romanum.⁶⁾ Quocirca nunc de hac re inquiram. Ineunte seculo sexto, seu paucis annis post Gelasium, jam possidebant Galli quemdam librum rituales dedicationis ecclesiarum, ut testantur indirecte Patres primi Concilii Aurelianensis anno 511 habiti, quibus placuit „Ecclesias Gothorum id ut Arianorum simili, quo nostrae innovari solent, ordine consecrari.“⁷⁾ Sed nescimus utrum illa ordo consecrandi idem fuerit substantialiter ac ordo Gelasianus seu Romanus, an ab eo diversus. D. Duchesne, qui stat pro diversitate, nullum affert documentum authenticum in ejus favorem. Quinimmo duo sola scripta, quibus innixus iste auctor ritum dedicationis ecclesiarum tanquam Gallicanum delineare tentavit,⁸⁾ pertinent ritui romano, minime ritui gallicano. Loquor de Sacramentario Engolismensi, quod

1) Gelasian Sacramentary p. 133.

2) Ibid. p. 285—287.

3) Pontificale Romanum. Secunda pars, titulus secundus, § 22—28.

4) Gelasian Sacramentary p. 133. — Pontificale Romanum, loco citato 28.

5) Gelasian Sacramentary p. 139 et 140.

6) Origines du culte chrétien, p. 389.

7) Concilium Aurelianense primum, Canon X.

8) Origines du culte chrétien, p. 393—399.

integre et unice constat ex textibus Gelasianis seu Gregorianis,¹⁾ et de Tractatu dedicationis ecclesiarum, qui tribuitur Remigio Altissiodorensi.²⁾ Hinc fere omnes ritus, quos recensat D. Duchesne in tali delineatione, et omnes sine exceptione formulae, quas nobis idem exhibet,³⁾ desumuntur sive ex Gelasio, sive ex Gregorio, ac proinde nihil omnino probant in ejus favorem. Quo rerum statu diluitur illata objectio, neque potest adhuc asseri Codicem Vaticanum Sacramentarii Gelasiani mixtum esse elementis gallicanis relata ad dedicationem ecclesiarum. Ex altera vero parte jam ostendum est eandem antiquiorem esse sub isto respectu diebus S. Gregorii ac proinde tanquam authenticum haberi debet. Nunc vero mihi videtur adhuc oppertunum inquirere in particulari, utrum revera ullus textus integer cujusdam collectae vel praefationis reperiri possit in Codice Vaticano Gelasiani Sacramentarii, qui fuerit a libris Liturgiae Gallicanae desumptus. Aliquid de hac re jam disserui in toto decursu istius tractationis sed obiter et per transennam, dummodo rem agam de proposito ut obstruatur os eorum, qui tanquam interpolatorem habent et profitentur amanuensem San-Dionysianum Gelasiani Sacramentarii.

§ 13. De Liturgia Gallicana collata cum Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani.

Idem ritus, eaedemque formulae orationum, praefationum et similium, quos nobis offert Codex Vaticanus Sacramentarii Gelasiani, reperiuntur frequenter etiam quoad litteram in antiquis libris Liturgiae Gallicanae.⁴⁾ Unde negari non potest quin adfuerint seu imitatio et mutuatio ex parte Gallorum, seu interpolatio ex parte San Dionysiani amanuensis: nam nullus est qui audeat contendere Gelasium et Gregorium haberi posse in hac re tanquam imitatores seu plagiosos Gallorum. Quocirca D. Duchesne rotunde ut jam dixi, insimulat dictum amanuensem quasi purum interpolatorum ut possit vindicari antiquitas Liturgiae Gallicanae. Sed

¹⁾ Leopold Delisle: Mémoire sur d'anciens Sacramentaires, Paris 1886, n. XV, p. 92—95.

²⁾ Patrologia Latina t. CXXXI.

³⁾ Felicior est idem auctor, quando tractat de ordinatione episcoporum, siquidem nobis offert quamdam praefationem, (p. 359 et 360) quae deest in libris Romanis. Sed nihil ex ea contra meam sententiam deduci potest. Nam Liturgia Gallicana juxta me filia est Liturgiae Romanae et primitus id est, usque ad secundam medietatem septimi seculi offerebat aliquos ritus et textus proprios licet concors fuisset cum Romana pro Canone Missae, et ritibus essentialibus.

⁴⁾ De hac identitate tractant doctissime 1. Marchese: L. Antica Liturgia Gallicana. Roma 1867, 2 in 8°. 2. Magani, episcopus Parmae L. Antica Liturgia Romana, Parma 1897.

asserere et probare plurimum inter se differunt. Porro dictus vindex Liturgiae Gallicanae nullum omnino documentum externum seu testimonium offert in suae favorem opinionis. Solummodo aliquae interpolationes mere accidentales et sine pondere, de quibus supra, et quaedam res similes ansam ei praebuerunt argumentandi. Sed iste modus argumentandi quid valeat, jam superius ostensum est. Unde ego possem simpliciter negare quod gratis assertum est. Ultra vero progrediens et collatis inter se libris Liturgiae Gallicanae et Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani, assero cum omni fiducia San-Dionysianum amanuensem fideliter exscripsisse, et in nulla circumstantia miscuisse textus et ritus sive Gregorianos, sive Gallicanos textibus et ritibus a Gelasio ipso admissis.

Certitudo ista mihi patet in primo loco ex eo, quod in calendario Sanctorum dicti Codicis Vaticani nullus prorsus reperitur Sanctus Gallus seu Francus. Absunt Martinus, Remigius, Mauricius, Hilarius, Saturninus et eorum festa dum inveniuntur saltem pro parte in aliis codicibus Sacramentarii Gelasiani.¹⁾ Eadem vero nomina semper adsunt in libris Gallicanis et eorum praesentia necessaria est ad discernendum libros Liturgiae Gallicanae a codicibus Liturgiae Romanae.²⁾

Secundum mihi offertur indicium in eo quod festum Assumptionis B. Mariae Virginis ponitur XVIII kalendas septembris (15. Augusti) juxta usum Romanum³⁾ et non XV kalendas februarii (18. januarii) juxta usum generaliter receptum apud Gallos ante nonum seculum.⁴⁾

In tertio loco notandum est quod in Gallia ultimum scrutinium catechumenorum, praecipiente Concilio Agathensi habito anno 506, habebat locum Dominica Palmarum⁵⁾ idem vero Romae fiebat sabbato magno. Hinc si amanuensis San-Dionysianus imitatus fuisset libros Gallicanos, eodem die ac isti affixisset dictum scrutinium dum e contra usum Romanum simpliciter adoptat.⁶⁾

Tandem quod majus est, et quod omne reffugium claudit, ni fallor, silet omnino idem amanuensis de triduo Rogationum ante Ascensionem Domini, quamvis Patres nationalis Concilii Aureliensis jussissent illud celebrari ab omni plebe cum jejunio, et

¹⁾ Gelasian Sacramentary, editio citato p. 361.

²⁾ Mabillon. De Liturgia Gallicana, liber primus, III, 13. — Patrologia Latina t. LXXII, p. 123.

³⁾ Gelasian Sacramentary p. 193.

⁴⁾ Origines du culte chrétien, édition citée. p. 258.

⁵⁾ Concilium Agathense, canon 13. — Missale Gothicum XXVII. Missale Gallicanum vetus XVI.

⁶⁾ Gelasian Sacramentary p. 78 et seq.

supplicationibus.¹⁾ Nam virtute istius decreti indicuntur dictae Rogationes non solum in Lectionario Luxoviensi, in Missali Gothico, et in Missali Francorum veteri, quae sunt vere ritus Gallicani²⁾ sed etiam in aliis Codicibus Sacramentarii Gelasiani, in quibus miscantur Romanus et Gallicanus ritus.³⁾ Hinc si revera amanuensis San-Dionysianus utrumque ritum saltem aliquot vicibus miscuit, ut asseritur, non aliter egisset in circumstantia tam urgenti, unde, cum aliam tamen tenuit agendi viam, concludendum eundem fuisse fidelem exscriptorem, minime vero interpolatorem nisi in rebus parvi momenti; ut supra ostensum est.

Sat inutile esset, ut reor, longius de hac re disserere. Quocirca praecedentes animadversiones breviter recapitulabo, eisquae epilogum imponam.

Recapitulatio tractationis istius.

Ex praecedentibus dilucidationibus eruitur, tanquam certum 1^o Gelasium Papam collegisse exeunte seculo quinto Librum Sacramentorum Romanae Ecclesiae, in quo inseruit initialiter seu compendisse quidquid hodie partitur tum in Missali, tum in Pontificali et Rituali Romanis. Ex iisdem eruitur 2^o istud Gelasianum Sacramentarium, quale asservatur in unico Codice Vaticano, haberi debere tanquam substantialiter authenticum. Nam ex una parte interpolationes, quibus non omnino caret iste codex, sunt mere accidentales seu verbales, ita ut simpliciter afficiant aliquot nomina personarum seu similia, nunquam substantiam rerum seu textuum.⁴⁾ Ex altera vero parte ipsi defectus et lacunae, quae existunt in dicto codice Vaticano pro Proprio Temporis et pro Natalitiis Sanctorum indirecte stabiliant eandem authenticitatem Gelasiani Sacramentarii, in quantum denotant epocham ejus redactionis anteriorem esse diebus S. Gregorii.

Tandem ex iisdem constat 3^o quosdam textes dicti sacramentarii sapere ipsum Gelasium tanquam Afrum genere, multa alia, praesertim ea quae referuntur ad orationem: Hanc igitur oblationem, manifeste anteriora esse S. Gregorio, dum e contra nullus in dicto Codice Vaticano exhibetur textus integer collectae, praefationis, aut rei similis, qui possit certo haberi tanquam Gregorianus aut Gallicanus. Unde prorsus evanescit quidquid assertum est de natura et gravitate interpolationem dicti codicis, nec jam potest in dubium revocari ejus authenticitas substantialis.

¹⁾ Concilium Aurelianense primum, canon XXVII.

²⁾ Patrologia Latina t. LXXII, p. 202, 287 et 380.

³⁾ Gelasian Sacramentary p. 341 et 342.

⁴⁾ Excipiendum est constitutum S. Gregorii Papae p. 26 ut explicatum est superius.

Epilogus:

Unitas Liturgica Occidentalis Ecclesiae et ejus perseverantia
usque ad septimum seculum.

Semel probata authenticitate substantiali Sacramentarii Gelasiani nova luce simul circumdantur Liturgia Romana et ejus initia, clareque patet maxime diversa esse initia dictae Liturgiae Romanae, et initia aliarum Liturgiarum Occidentalium, Ambrosianae scilicet, Gallicanae, Gothicae et Celticae in quantum a Romana sunt distinctae.¹⁾ Nam stabilita dicta authenticitate negari etiam non poterit dictam Liturgiam Romanam, cujus est Sacramentarium Gelasianum, jam ad virilem statum evectam esse exeunte seculo quinto, dum e contra aliae Liturgiae occidentales non existebant nisi in germine, et tanquam filiae legitimae seu rami Liturgiae Romanae et minime respuentes, ut postea factum est. Canonem Missae Roma testatur indirecte S. Coelestinus, qui praeerat Ecclesiae quinquaginta annis ante Gelasium, siquidem juxta eum „Obsecrationum sacerdotalium sacramenta, ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur.“²⁾ Haec scribebat Pontifex ad Episcopos Galliae: ac proinde res erat vera saltem pro Gallia. Porro inter obsecrationum sacerdotalium sacramenta primum locum indubie tenet Canon Missae in Liturgia Romana.³⁾

Paucis annis postea, episcopi Galliarum scribentes ad Leonem Magnum sese gloriabantur accepisse religionem christi „id est, non solum symbolum fidei ut reor, sed etiam ritus essentielles Sacramentorum a fonte Sedis Apostolicae.“⁴⁾

Item S. Isidorus ineunte seculo septimo dicebat sine ambiguitate licet ejus verba male intellecta sint:⁵⁾

„Ordo Missae et orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur primum a S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo peragit universus orbis.“⁶⁾

Qua uniformitate in rebus essentialibus vigente, ipse Gregorius hortabatur discipulum suum Augustinum Cantuariensem: „ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia

¹⁾ Hac distinctio habuit locum meo judicio per suppressionem Canonis Missae Romanae

²⁾ Epistola XXI, 12. — Patrologia Latina t. L, p. 535.

³⁾ Equidem Pontifex non loquitur expresse de isto Canone, sed agit nominatim de quibusdam collectis feriae sextae in Parasceve, item de exorcismis et exsufflationibus circa baptizandos, quae inveniuntur sicut Canon Missae in Sacramentario Gelasiano. Hinc certem est quod Coelestinus Canonem Missae in mente habebat, quando talia verba proferebat.

⁴⁾ Epistolae S. Leonis, XCIX, 5. — Patrologia Latina t. LIV, p. 968.

⁵⁾ Supponitur gratuito Isidorum loqui de Missa Gothica in verbis allegatis. Confer Duchesne: Origines du culte chrétien p. 198 et alibi.

⁶⁾ De Ecclesiasticis officiis I, 15. — Patrol. Lat. t. LXXXVIII.

aliquid invenerit quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligeret et in Anglorum Ecclesia... infunderet.“¹⁾ Sed indubie aliter agisset exemplo Innocentii primi sui decessoris,²⁾ si jam exeunte seculo sexto introductae fuissent in missa sive gallicana, sive gothica, Collectiones post nomina, ad pacem, post sanctus, post mysterium. Nam istae non introductae fuerunt nisi loco canonis, cujus vices tenent. Qua rejectione Canonis consumata, ista duplex Liturgia non jam legitima filia Liturgiae Romanae habita est sed adulterina reputata est, dum e contra Liturgia Ambrosiana, cui nunquam defuit Canon Missalis, supervixit et usque ad nos cum laude pervenit.

Nicolaus Salicetus, ein gelehrter elsässischer Cistercienserabt des 15. Jahrhunderts.

Von Luzian Pflieger.

Mögen auch die elsässischen Cistercienser — deren Geschichte leider noch fast gänzlich ungebaut ist — auf dem Gebiete der Wissenschaft nie in besonders markanter Weise hervorgetreten sein, so verdiente doch das Andenken manches tüchtigen Gelehrten, besonders aus der berühmten Abtei Lützel, der Vergessenheit entrissen zu werden. Es sei hier nur erinnert an die Lützeler Aebte Johann Demetrius von Basel († 1319) und Konrad Holzacker († 1443), den Redakteur der Acten des Concils von Konstanz u. a. m. Auch das Kloster Baumgarten besass noch kurz vor seinem Verfall in Nicolaus Salicetus einen Abt, der um seiner eigenthümlichen Lebensumstände und seiner Gelehrsamkeit willen eine kurze biographische Notiz verdient, umsomehr als über ihn und seine literarische Thätigkeit soviel wie gar nichts bekannt ist. Leider fließen auch über ihn, wie über so manche verdienstvolle Männer des 15. und 16. Jahrhunderts die Quellen sehr spärlich.

Nicolaus Salicetus, oder wie er ursprünglich hiess, Nicolaus Wydenbosch (Weidenbusch) war ein geborener Berner.³⁾

¹⁾ Regest. XI, 64. — Patrol. Lat. t. LXXVII, p. 1187. Authenticitas istius epistolae dubia est juxta D. Duchesne, opere citato p. 93 et 94. Sed ipse Gregorius eam agnoscit quasi propriam. — Regest. XIV, 17. Ibidem p. 1323.

²⁾ Innocentius scribens ad Decentium damnabat explicito eos, qui pacem dabant ante confecta mysteria et recitabant nomina offerentium ante precem sacerdotalem id est Canonem Missae. — Epist. XXV, 4 et 5. — Patrologia Latina t. XX, p. 553 et 554.

³⁾ Valerius Anshelm, Berner Chronik (1884) I. 190. Der wolgelerte Arzt Doktor Nicolaus Widenbosch von Bern. Vergl. auch die unten angeführte Baseler Ausgabe des Breviarium cisterciense von 1484, letztes Blatt: Nicolaus de berno. Dies zeigt auf das Teillbuch von 1448, wo zwei Widenbosch namentlich